

illorum lectione & fructu inuiti carere deberent ij qui Ecclesiæ ac Reipublicæ per illos prodesse possunt; ad in eundem ipsos reuocauit, & limatos, ac diuersis in locis non parum auctos typographo commisi, lucem denuo visuros. Eos autem, R.^{mo} DOMINE, vt nomini tuo inferibam, suadet in primis tuus in me humanus beneuolusque affectus, quem norunt illi qui vestram Reuerendissimam Dominationem coram conueniunt, Vniuersitatis huius negotia tractaturi. Deinde, quod meritis tuis ita polcentibus, ad Pontificalem Cathedram eius Antistitis successor sis Nominatus à sua Catholica Maiestate, quæ viros sapientes & gnaros, & quorum conuersatio probata est in tribus, sacros nobis ponit principes, cui primam editionem nuncupauit. Audiuit quippe tuam apud Neruios vitam, non virtute minus quam eruditione celebrem: Cogitauit etatis ac senectutis tuæ eminentiam dignam, atque à puero optima conuersationis actus, & secundum sanctæ & à Deo condita legis constituta. Non ignorat quanta cura & sollicitudine, quanto veritatis amore, quanto iustitiæ zelo Mechliniensis primum, deinde in Secretiori viro- rum vndeque ornatissimorum Concilio adimpleas illud Deut. i. *Quod iustum est iudicate, siue cuius ille sit siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam.* Nouit insuper, quam te exhibeas irreprehensibilem, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, vt potens sis exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere: quæ sunt præcipuæ qualitates in Episcopo apud Apostolum requisitæ. Idcirco, & Pontificali dignum Infula, & Episcopali Oneri parem Te iudicauit Rex noster Catholicus. Sed nec silentio premia est alia huius Operis Dignitati tuæ offerendi ratio. In Sacrosanctæ siquidem Triadis memoriam tres vnus eiusdem Sedis Episcopos salutare, tribusq; illorum nominibus quosdam doctrinæ Scholasticæ Commentarios inscribere, animo sedit. Vnum R.^{mo} Hermanno Ortembergo nuncupauit an. 1618. Alium R.^{mo} Paulo Boudot an. 1630. Tertium non habet alium Sedes illa Præsulem quam Dominationem Vestram R.^{mam} cuius in ea Confirmationem & Consecrationem à Diocesanis ardenti animo concupitam, diu desideratam, populo pernecessariam, sed bellorum iniuriâ præpeditam, sicut fuerit voluntas in cælo, sic citò concedat animarum nostrarum Episcopus Iesus Christus. Hunc igitur Commentarium Nomini Tuo, vt Tertij ab elucubrationum mearum editione, *Atrebatensis Antistitis*, R.^{mo} DOMINE inscriptum, Tibi hunc afferro, offero, & dico. Illum vultu benigno respice, fronte serena suscipe, & nostri memor Vniuersitatem istam, nostramque Facultatem Theologicam foue, tuere, & adiuua.

Dicit. 1.

2. M. 1. 6.

1. ad Tim.

3. ad Tit. 1.

Duaci 14. Iulij, Doctori
Seraphico Sancto Bonauenturæ
sacra. Ann. 1641..

Reuerendissimæ Dominationi
Vestრæ deditissimus &
obsequiosissimus
FRANCISCVS SYLVIVS.